



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Consti=||tvtionen In Di-||oecesana Synodo
Vvla-||dislaviensi**

Karnkowski, Stanisław

Colonię, 1572

VD16 W 4100

Stanislavs Carnocovivs Dei Gratia VVladislaviensis Et Pomerania Episcopvs
vniverso clero suo, à Deo Patre & Domino nostro, humanæque salutis
auctore Iesv Christo gratiam & pacem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62991)

STANISLAVS

CARNOVIVS DEI

GRATIA VVLADISLAVIEN-

SIS ET POMERANIAE EPISCOPVS

vniuerso clero suo, à DEO PATRE

& Domino nostro, humanæque salu-

tis auctore IESV CHRI-

STO gratiam &

pacem,



N tanta rerum
omnium conuer-
sione, quantam o-
culis ipsi nostris
cernimus, non ra-
rò cogitatum est à
nobis, quî tãdem
factum sit, vt hic esset in patria no-
stra rerum status, quem nunc proh
dolor, esse videmus, & ingemisci-
mus: cùm præsertim tam firma soli-
daque in itiò fuissent à maioribus no-
stris, cùm Reipublicæ, tum religioni
præcipuè, addita præsidia, vt ea vis er-
roris & hæresum, perrumpere vix vn-
quàm potuisse videretur. Multos
etiam

etiam

EPISTOLA AD CLERVM SVVM
etiam alios graues alioquin & pru-
dentes viros, in eadem cogitatione
versatos fuisse animaduertimus: qui
hac de re sententiam familiariter à
nobis rogati, etsi multa commemo-
rarent, pro eo ac erat sensus & in-
genium cuiusque, in eam tamen
præcipuè sententiam propendêre
videbantur, vt existimarent po-
tissimam fuisse causam horum ma-
lorum omnium, deprauatos ho-
minum ordinis nostri mores: qui
cùm ab officij religione deflexissent,
studiaque instituto suo contraria se-
qui coepissent, statim non ipsi modò
in maximas calamitates sunt prola-
psi, verùm alios etiam, quibus ad ve-
rum veri DEI cultum, & ad om-
nem honestatem exemplo esse de-
bebant, in similem ruinam traxe-
runt. Nos tamen, cùm ea propiùs
ad animum, qui mos noster est, re-
uocare, diligentiusque in tali cogi-
tatione versari coepissemus, quam-
uis nec omnino falsa essent, quæ di-
cebant: & aliqua insuper verifimili-
tudine vestita viderentur, nullam ta-

10 STANISL. CARNC. EPISC. VVLAD.
mē causam existimauimus satis di-
gnam vel fuisse vnquam, vel etiam-
num esse posse: quamlibet ea vel
hominum nostrorum vitio intro-
ducta, vel quorumcunque tandem
iudicio esse grauiſſima putaretur, vt
à prisca religione Catholicaque fide,
cuius apud omnes sacrosancta sem-
per auctoritas esse debet, vel mini-
ma discessio, & ad Satanismū incli-
natio fieret. quandoquidem Chri-
stianæ fidei ratio, non ab hominis
cuiuscunque tandem, siue docti, si-
ue magni persona, quæ falli potest
& fallere: verum à DEI solius, qui
nec falli potest nec fallere, verbo
proprie præcipueque dependet.
Quod cum certum, constans & æter-
num sit, nullo cuiuscquam vitio, nul-
lo etiam temporum interuallo, quã-
libet longissimo vel tolli potest, vel
mutari. Vetus est vox illa magni cu-
iusdam in Ecclesia viri: Ex personis
fidem probandam non esse. quam
etiam primi illi Sacrosanctæ religi-
onis nostræ duces & Antesignani, ve-
ra veræ Ecclesiæ Dei lumina, diligē-
ter

Tertull. de
Prescripti-
onibus.

EPISTOLA AD CLERVM SVVM 11

ter accurateque suo tempore seruâsse videntur. Quid enim illi in Caypha scelesto? quid in Iuda proditore, quoad is Apostolus fuit? quid in Nicolao Diacono? quid in alijs multis spectârunt? quos vel ex cõtentione Christum prædicasse, vel sua, non quæ IESV CHRISTI sunt, quæsiuisse Apostolus testis est: quàm Dei verbum, quàm legem illam æternæ vitæ, & lucem illuminantem omnes, quicunque tandem Christo nomen dedissent? Non eorum personas, non vitam: sed doctrinam sibi spectandam esse ducebant. Quales quales illi fuerunt, eorum vel DEI potius, quod prædicârunt, verbo, citra omnem dubitationem, creditum est; nec propter mores ipsorum, quàm diu perstiterunt in recta Ecclesiæ doctrina, quisquam à fide sibi vnquam discedendum, aut novos cœtus faciendos, novos magistros accersendos, nouam doctrinam sequendam esse putauit. Nimirum securos faciebat omnes illa Christi sententia. Quæ dicunt facite, secun-

Phil ip. 1.

Phil ip. 2.

Matth. 23.

STANISL. CARNC. EPISC. VVLAD.
secundum opera eorum nolite fa-
cere. Idem hoc etiam tempore ab
hominibus nostris factum oportu-
it, à quibus magnus hic fidei Chri-
stianæ thesaurus vel in medio ceno-
vitorum, medijsque scelerum flu-
ctibus, vel ipsis etiam portis inferi
tumultuantibus, conseruandus fue-
rat, nec facilè prodendus hostibus,
nec dandus aduersario locus male-
dicti gratia. Non enim expedit, fu-
gientes Scyllam in Charibdim inci-
dere: vel cauendi tetri odoris gratia,
caulas gregis relinquere: vel vt do-
mesticum fumum deuities, externo
algore contabescere, aut imbri se ex-
ponere, lenti stillicidij causa. Fe-
renda minora incommoda, maio-
rum vitandorum ergò: malaque
nostra medicanda, non ipsa vnitas,
certissima Christianorū nota, pror-
sus deserenda fuerat. Quis enim Sa-
piens, detrimentum aliquod leuius,
maxima suę salutis iactura commu-
tauerit? Peculiare hoc fuit schisma-
ticis & hæreticis, vt seiungerent se
ab ECCLESIA, ob vitā à Catho-
licis

1. Tim. 5.

EPISTOLA AD CLERVM SVVM

licis non optimè institutam. Nam & Audianum offendebat, quòd nō nulli ex Catholicis pecuniam in fœnus darent, nec vterentur castis moribus. Et Donatistis non alia separationis causa fuit, quàm quòd se solos sanctos, reliquos omnes peccatores & sceleratos esse certò sibi, licet falsò, persuaserant. Et Catharri de se magnificè sentientes, vitam aliorum iudicabant suo cœtu indignam. Et Cathaphrigæ, omnes alios præ se impuros esse censebant: adeò velum suę diuisioni prætendebant illi semper vitiosos Catholicorum mores. At hi contrà, nunquam discindendam inconfutilem C H R I S T I tunicam, nunquam Ecclesiæ vnitatem, nunquam fraternam charitatem, & mutuam pacem, vitæ causa soluendam sibi esse putauerunt. Neque enim ignorabant, nullum esse posse tantum crimen, quod cum schismate vel hæresi posset conferri, quodq; se maximo scelere obstringerēt hi, qui licenter & audacter Ecclesiam scinderent,

Niceph. li.

11. ca. 14.

Ecclesi. historia.

Optatus li.

2. contra

Parmenianum.

Epiphanius cõt. Catharros Hæresi. 59.

Origines li

bro. Peri-

archo. &

Pamphilus in

Apol. pro

Origine.

Vide Euse-
biū li. 6. ca.
34. Histo.
Ecclesiast.

derent, ex caque partes facerent. Mar-
tyrij est instar, perferre non optimos
fratrum mores, sustinere delinquen-
tes in tolerantia charitatis, in com-
page vnitatis, & vinculo pacis. In-
terea tamen fatemur non inuiti, pec-
cata nostra non minimam dedis-
se occasionem. quam ob rem in nos
grauiter Deus animaduertere, pœ-
nasque de nobis officij nostri ne-
glecti sumere debuerit: quando-
quidem non erat vita nostra con-
sentiens doctrinæ nostræ, iamque
in nobis impletum videbatur illud:
Dicunt enim & non faciunt.

Matt. 23.
Apoca. 12.

Postea quàm autem solutus illi Sa-
than draco antiquus, & fratrum
nostrorum accusator, in fidem Ca-
tholicam euertendam, & accersen-
dam pernitiam nostram, DEO per-
mittente, incubuit: factum est mi-
nimo negotio, vt miscerentur ima
summis, vt esset conuersa rerum
facies, vt Sacerdos esset sicut popu-
lus, vtque ad has crumnas veni-
remus, quibus nunc, pròh dolor,
grauissimis premimur. Inde auda-
cia

Isaia 34.

EPISTOLA AD CLERVM SVVM 14

cia nata, & quiduis agendi libido: inde Sacrorum contemptus ac impietas: quæ iam tantas vires sumpsit, vt malè feriati quidam homines, audacia in sapientiam conuersa: nec locis sacris, nec religioni, nec Sacramentis, nec ipsi DEO pepercerint: cuius maiestas, rebus diuinis profanandis, Christoque blasphemando, violata est hactenus, & violatur adhuc impunè. Quò Eccle. 19 fit etiam, vt is reliquerit nos in manu consilij nostri, & à nobis recesserit, ideoque simul omnis Ecclesie decor, omnis ordo, quin & pax ac tranquillitas ferè perierit. Qui doceri debebant, Doctorum sibi munus sumpserunt: quos regi oportuit, in rectorum officia inuolârunt: oues in suos pastores imperium sibi arrogârunt, eisque docendi & pascendi sui rationem, audacter tradere nō dubitârunt. Alij verò, cōtēptis veteribus, novos magistros sequuti, eorum se disciplinæ deprauandos potius, quàm informandos tradiderūt

præce-

STANISL. CARNC. EPISC. VVLAD.

Matth. 5.

Matth. 13.

Philip. 2.

pręceptoribus sanè pessimis, suęque
proprię salutis hostibus. Sic nimirũ,
& sal insulsum conculcari ab homi-
nibus, & zizania coępit ad summũ vf-
q; crescere: cùm viderent omnes, nos
qui spiritales esse, & dici volumus, nõ
tam quę IESV CHRISTI, quàm
quę nostra sunt, quærere: & in his tē-
poralibus, vel parandis, vel augendis,
vel conseruandis, omne studium o-
peramq; nostram ponere. Ac illi qui-
dem impuri Sathane verbi ministri,
cùm essent ex eius ludo profecti, qui
iã inde ab initio pro sua nequitia, &
in Christianos odio, Ecclesię nauem
subuersam, & hominũ salutem cupit
extinctam, è vestigio non secus ac tē-
pesta quędã in Ecclesiam factõ impe-
tu, hoc operam dederunt, vt pertur-
batis rebus omnibus, ordineque no-
stro in odium, iuuidiam & con-
temptum apud seculares adducto,
religionem omnem cum puluif-
culo, quod aiunt, è medio tolle-
rent. quam est postea rerum etiam a-
liarum confusio maxima consequu-
ta. Nam his fundamentis conuulsis,
quid

quid tandem saluū , quid integrum
 esse potest? omnia labascant, omnia
 concidant, ruant omnia necessè est.
 Cui malo propulsando, non semel à
 viris magnis quæsitā , neque tamen
 sunt inuenta remedia: vel quòd seri-
 ùs ea quæri coepta sunt, cùm iam mor-
 bus ferre medicinam non posset: vel
 quòd irato Deo frustra tētantur om-
 nia. Quare postea quàm sumus per
 Dei gratiam quamlibet indigni, ad
 Ecclesiæ huius nostræ gubernacula
 vocati , hoc nobis vnum & solum
 præcipuè curæ fuit, vt nō modò quæ-
 reremus quod perierat, & errantibus Luc. 19.
 ouibus impleremus Ecclesiæ nostræ
 caulas, verùm etiam, vt succisa illa
 putri amaritudinis radice (quæ no-
 bis, alijs causis interea prætermi-
 ssis, multæ sunt enim) tot spinas & tribu-
 los produxit: nimirum vita Cleri no-
 stri ad rationem meliorem reuoca-
 ta, cum Deo tandem rediremus in
 gratiam, ei que, à peccatis auersi, & ad
 Christianum viuendi modum con-
 uersi, dicaremus nos totos, munere
 que nostro sedulò & gnauiter funge-
 remur

18 STAN. CARNC. EPISC. VVLAD.

remur. Satis alioqui diu cessatum est à nobis, non sine maximo nostro & aliorum malo: satis priuatis commodis indultum, satis ocio datum.

Rom. 13.

Tempus fuit iam nos de somno surgere, opera tenebrarum abijcere, & armis lucis indui. Quod vt faceremus commodiùs, vniuersum clerum Diœcesis nostræ, legibus quibusdam vincendum, & ei certam rationem viuendi, & Sacramentorum administrandorum modum, quem sequeretur, præscribendum esse putauimus: idque decreto Synodi, quæ fuit per nos in Diœcesi nostra, de prudentium virorum consilio nuper coacta. Inprimis verò auctoritate S. D. N. PII. Quinti Pontificis Maximi, qui pro suo præclaro, & nunquam satis laudato, erga Remp. Christianam et Ecclesiasticam, studio: iuuandæque Christi sponsæ cura singulari, nobis ad hanc Ecclesiam instituendis, vt eam primo quoque tempore haberemus, mandauerat. Cui nos, pro eo ac debuimus, paruimus sanè non inuiti. Ac fuit in ea quoque de rebus
alijs

EPIST. AD CLERVM SVVM 19
alijs per nos tractatū, quæ sunt Actis
huius nostrę Synodi perscriptæ: cu-
ratū est enim à Cancellario nostro,
vt ordine singula scriberentur, quæ
gesta sunt.

Hortamur autem omnes Clericos
Diœcesis nostrę, quando quidem vi-
dent ipsi, quanta nos mala circum-
stent, quàm foedis & horrendis hære-
sibus vexetur Ecclesia, quanti sint
motus per sathanæ ministros in reli-
gione & Republica excitati, vt iam
tãdem malè viuendi finem faciant,
pietatem colant, vitam ad exem-
plū filiorum Dei instituant, officiū
suum impleant, populo ad hone-
statem duces sint, soli Deo adhære-
ant, eumque suis castis precibus & sa-
crificijs, agrę huic & squalenti pa-
trię nostrę, placatum reddere stu-
deant: vt ira sua à nobis auersa,
nos ad se conuertat, motus istos
tranquillet, Ecclesię quietem conce-
dat, hæresibus finem imponat, & la-
borum consiliorumque nostrorum
det foelicem exitum.

b 2 Volu-

20 STAN. CARNC. EPISC. VVLAD.

Volumus præterea, vt huius nostræ Synodi constitutiones, habeant clerici Diœcesis nostræ omnes: illas legant, ad illas vitam suam, studia docendi populi, sacramentorumque ministrandorum rationem instituant; nec ab earum præscripto vnquam discedant. Illud verò de nobis sibi certò persuadeant: nihil esse in hac fragili & misera vita nostra, quod nobis maiorem voluptatem adferre queat, quàm si viderimus promptè & alacriter ea, quæ statuuntur sequi omnes, vitaque sua & moribus exprimere. Cùm enim ad benignitatem magis propensi, quàm ad seueritatem semper fuerimus inclinati, vehementer cupimus, recti potius & honesti amore, quàm vllò pœnarum metu, sacerdotes nostros, cæterosque Ecclesiæ ministros, ad officium conuerti. Quam vt singulis mentem inspiret, Deum precamur.

Con-